

quis alius sit in ipso legislatore necessarius ad legem ferendam. Multi enim existimant requiri ulterius quemdam actum intellectus, quem vocant intimationem, explicationem, vel insinuationem voluntatis superioris respectu inferioris: nam hunc actum dicunt habere propriam rationem imperii, et explicari illa voce *Fac hoc*, et ita (ut infra dicam) in illo constituunt propriam rationem legis. Et fundatur, quia in omni operatione morali putant hunc actum esse necessarium post electionem ad executionem, et de illo locutum esse Aristotelem, 6 Ethic., quando dixit perfectissimum actum prudentiæ esse imperare, et D. Thomam, 1. 2, quæst. 17, quando docet imperium esse actum intellectus.

11. Ego vero, in universum loquendo de imperio respectu propriarum actionum, seu potentiarum ejusdemmet operantis, sentio, post electionem, seu actum voluntatis, quo determinate et efficaciter quis vult aliquid operari ad extra, cum omnibus particularibus conditionibus requisitis ad agendum ex parte circumstantiarum et potentiæ executivæ, non requiri actum aliquem intellectus, qui immediate dirigatur ad potentiam exequentem; imo nec talem actum esse possibilem. Quia neque potentia exequens percipit vim imperii, neque ad intellectum spectat applicare potentiam ad operandum, sed solum proponere objectum voluntati, ad quam spectat postea applicare reliquas potentias ad usum, ut est communior sententia, quam suppono ex 1. 2, quæst. 17, et ex auctoribus quos referam, capite sequenti, eandemque rem sæpius satisque fuse attingi, tract. de Prædest., l. 1, c. 16 et 17, et tract. 4 de Relig., libro 1, c. 3, et tract. 6, l. 1, c. 12.

12. Hac vero doctrina supposita circa imperium uniuscujusque ad seipsum, de imperio unius ad alium necessario dicendum est, post actum voluntatis legislatoris, quem supra declaravi, solum requiri ac necessarium esse ut legislator illud suum decretum et iudicium insinuet, manifestet, seu intimet subditis, ad quos lex ipsa refertur. Hoc enim necessarium est, quia alias non posset voluntas principis obligare subditum, quia non innotesceret illi, ut dicemus latius, agentes de promulgatione. Quod autem hoc sufficiat, patet, quia voluntas principis est ex se efficax: nam est ex sufficienti potestate, et cum absoluto decreto obligandi, ut supponitur: ergo si illa sufficienter proponatur subdito, operatur quod vult: inducit ergo obligationem: ergo consummata est lex: ergo nihil aliud necessarium est. Quod

evidentius constabit ex dicendis, capite sequenti.

13. De illa vero intentione constat, consistere in locutione quadam, seu locutione quamcumque significationem seu manifestationem interni actus alteri factam comprehendendo. Hæc autem locutio si recte consideretur, præsertim in ordine ad creaturam, perficitur per actum transeuntem, qui aliquo modo tandem recipitur in eo cui fit locutio. Ut inter homines evidens est: et idem suo modo existimo esse inter Angelos: nam, si is qui loquitur non imprimat aliquid ei ad quem loquitur, non manifestabit illi conceptum suum. Et idem est de Deo respectu creaturarum: non enim intinavit Deus Adamo suam voluntatem de abstinendo ab esu arboris vitæ, nisi per revelationem aliquam ipsi Adamo factam, et si Deus manifestet beato in Verbo quid velit ab ipso fieri, ipsamet visio Verbi, quæ est in beato, habet vim locutionis et intimationis Dei circa tale præceptum. De locutione autem creaturæ ad Deum, alia est ratio, de qua dixi, in citato loco de Orat., hic autem non habet locum, quia non potest creatura imperare Deo.

14. *Ultra actus numeratos requiritur actus intellectus ad loquendum subdito.*—Ex his ergo concludo, post prædictum actum voluntatis solum requiri in legislatore actum intellectus, qui ad loquendum subdito de tali re, vel decreto necessarius fuerit. Et consequenter esse poterit necessarius novus actus voluntatis efficiendi signum manifestans priorem voluntatem. Ut in nobis requiritur apprehensio verborum, quibus locuturi sumus, et voluntas movendi linguam: et ita, proportionem servata, in principe requiritur ut per intellectum concipiat modum intimandi legem, et ut per voluntatem velit exequi intimationem; quod cum proportionem potest ad Deum applicari: ita enim hanc intimationem operatur sicut alios effectus suos. Denique post prædictum actum voluntatis intelligi etiam potest in legislatore novus actus intellectus, quo videt illam voluntatem suam, ut in Deo intelligimus scientiam visionis posteriorem illa voluntate. Quo etiam fit ut legislator post cognitionem suæ legis, aliter etiam judicet de materia legis quam antea, quia prius solum judicabat illam ut aptam imperari: postea vero judicat eam ut necessariam ad honestatem morum ex decreto suo. Quæ omnia adeo sunt manifesta, ut non indigeant nova probatione. Quomodo autem hæc ad legem concurrant, atque adeo in quo actu illa posita sit, dicemus capite sequenti.

CAPUT V.

UTRUM LEX SIT ACTUS INTELLECTUS VEL VOLUNTATIS, ET QUISNAM ILLE SIT?

1. *Prima sententia affirmans legem esse actum intellectus.*—Suppositis quæ in superiori capite dixi, quæstio fere tota erit de modo loquendi; tamen propter varietatem opinionum expedienda breviter est. Prima igitur sententia affirmat legem esse actum intellectus, ita sentit D. Thomas, dict. quæst. 90, art. 1, et sæpe ita loquitur in discursu materiæ Vincentius, spec. mor., l. 5, part. 2, dist. 1. Sequuntur Thomistæ, Cajetanus, Conradus, et alii ibi, et 1. 2, quæst. 17, et 58, art. 4, et q. 60, art. 1; Soto 1, de Just., quæst. 1, art. 1; Turrecrem., in cap. *Officium*, dist. 3; Alensis, 3 p., q. 26, in primo; Richardus 3, dist. 33, a. 2, quæst. 6, ad 3; Antoninus, 2 p., tit. 4, c. 10; Guillelmus Parisiensis, tract. de Legibus, et Corduba, lib. 2, quæst. 10. Probari autem solet hæc sententia, primo, quia tam Scriptura quam Patres, philosophi et jurisconsulti legem tribuunt rationi, aut sapientiæ. Proverb. 8, ait Sapientia: *Per me legum conditores justa discernunt.* Sic etiam Clemens Alexandrinus, lib. 1 Strom., non longe a fine ait legem esse opinionem bonam, bonam autem esse quæ est vera. Et subdit: *Cui consequenter quidam dicebant legem esse rationem rectam, quæ jubet facienda, et prohibet quæ facienda non sunt;* et Basilius, in cap. 8 Isaiæ: *Lex, inquit, est doctrinæ et magistra.* Damascenus etiam, l. 4, cap. 23, legi tribuit docere.

2. Præterea Plato, in dialog. Minos, seu de Lege, in principio, legem vocat *opinionem civitatis probam*, id est, veram: et infra dicit esse *veritatis operationem*. Eodemque modo Aristoteles, lib. 1 Elench., cap. 12, in fine, legem esse dicit *opinionem multitudinis*. Et in epist. ad Alexandrum, ante Rhetoricam ad illum, definit legem esse *orationem quæ communi civitatis consensu jubet, etc.*, et statim cap. 1 Rhetoricæ, ait *legem esse communem civitatis consensum, qui scripto præcipit, quomodo unumquodque agendum sit*: ubi legem etiam ponit in jussione et præcepto: cum tamen sæpe alias rationi et prudentiæ tribuat imperare, 6 Ethic., cap. 9 et sequentibus, 4 Politic., cap. 3. Unde, lib. 10 Ethic., cap. 9, dixit legem esse *sermonem ab aliqua prudentia et mente profectum*. Ex Cicero etiam multa supra adduximus, quibus significat legem in

ratione esse, primum quidem in mente Dei, per participationem autem ejus, in humana ratione esse legem naturalem et prudentiam, a qua leges civitatum proficisci debent, ut late prosequitur in lib. 1 et 2 de Leg., paulo post principium, ubi inter alia sic concludit: *Lex est recta ratio in jubendo et vetando.* Sic denique Papinianus, in lib. 1, ff de Leg., legem vocat *commune præceptum*, et declarat esse *virorum prudentium consultum*, et Marcellus, in lib. 2, ex Chrysippo, refert *legem esse divinaram humanarumque rerum reginam, principem ac duce*m: hæc autem sunt munera rationis, ad quam spectat regere et dirigere operationes.

3. *Rationibus confirmatur prima sententia.*—Rationes ad confirmandam hanc sententiam afferuntur variæ. Prima est, quia ad legem pertinet ordinare, unde et definitur solet, quod sit *ordinatio rationis*: sed ordinare non ad voluntatem, sed ad intellectum spectat, quia includit ratiocinationem quamdam: unde quæ ratione carent, ordinare non possunt: ergo lex actus intellectus est. Secunda, legis est illuminare et instruere, juxta illud: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, et illud: *Lex Domini immaculata convertens animas, sapientiam præstans parvulis*: illuminare autem intellectus est. Tertia, lex est regula, ut in principio dictum est, ex Basilio, in cap. 1 Isaiæ, ubi eam vocat *regula justorum et injustorum*, quod etiam habetur in l. 2, ff de Leg., et ideo leges ecclesiasticæ vocantur canones, id est, regulæ, ut ait Isidorus 2 Etymologiarum: sed voluntas non est regula, quin potius ipsa ratione regulanda est: est ergo lex in ratione.

4. Quarta, quia nullus potest assignari actus voluntatis, qui sit lex: aut enim est voluntas principis, seu superioris, quod talis actio fiat a subdito: et hoc non, quia talis voluntas necessaria non est, nec sufficit: nam Deus verum præceptum posuit Abrahamæ de sacrificando filio, quod tamen Deus fieri volebat; et e converso quantumvis superior velit, et desideret aliquid fieri a subdito, si non præcipit, non obligat. Et ideo dicunt theologii nos non teneri conformari divinæ voluntati, etiam efficaci, nisi addatur præceptum de exequenda tali voluntate: non ergo consistit lex in tali voluntate: vel consistit in voluntate obligandi subditum: et hæc etiam non sufficit, nisi intinuetur. Imo addunt aliqui, non esse necessariam talem voluntatem in principe, ut ferat legem, quia licet princeps nihil cogitet de obligatione, si vult imperare, imperando ferat

legem. Imo addit Medina 1. 2, quæst. 90. a. 1, quod licet nolit obligare, si vult imperare, obligat et fert legem: sicut (inquit) qui vovet sine voluntate se obligandi, nihilominus vere vovet et obligatus manet, et qui promittit sub juramento dolose, et sine intentione se obligandi, tenetur implere promissum ex religione juramenti: sic ergo qui vult imperare, ex efficacia imperii obligat, etiam si nolit: quare ad legem non erit necessarius alius actus voluntatis, nisi voluntas imperandi: illa autem voluntas non est lex, nisi sequatur imperium, quod pertinet ad intellectum: in illo ergo lex est.

5. *In quo actu intellectus sit lex.* — *Quidam dicunt esse iudicium rationis.* — Est autem controversia inter auctores hujus sententiæ, quisnam actus intellectus habeat rationem legis, an scilicet iudicium rationis, quod antecedit voluntatem, vel imperium quod subsequi dicitur. Nam quidam eorum dicunt esse iudicium rationis, quod tenuit Guillelmus Parisiensis, et secutus est Conradus, d. art. 1. Et quidem D. Thomas, q. 91, art. 2, clare dicit, legem esse dictamen in principe; et si considerentur testimonia adducta, præsertim philosophorum, de hoc iudicio loqui videntur. Item proprietates illæ, quæ sunt illuminare, esse regulam et mensuram, in iudicium rationis conveniunt, et non in illud imperium, quod solum dicitur esse impulsivum, et non manifestativum alicujus veritatis. Huic tamen sententiæ obstat, quia iudicium illud non habet efficaciam obligandi, nec moraliter movendi; hæc autem in lege necessaria est; item, quoad iudicium nihil differre videtur præceptum a consilio, quia etiam consulens habet simile iudicium de actione, quam faciendam consulit: unde si Deus nihil aliud nobis manifestaret, quam hoc iudicium, non legem, sed consilium præberet, in his videlicet quorum opposita intrinsece mala non sunt.

6. *Alii dicunt legem esse actum intellectus, qui dicitur imperium.* — Alii ergo auctores ponunt legem in actu intellectus subsequente voluntatem, et vocant illum actum imperium: sed si hic actus non sit per modum locutionis, est plane confictus, ut supra diximus: si autem est locutio aliqua habebit rationem signi: igitur non tam erit lex quam signum legis, vel ad summum dicitur lex, sicut lex scripta aut voce prolata lex vocatur. At vero hæc lex externa seu scripta non habet vim legis, nisi quia significat aliquid aliud in quo est virtus legis, et ideo necessario supponit aliud, quod

principaliter sit lex: et hoc est quod inquirimus. Nec etiam dici potest locutionem illam impernam, prout consideratur in mente principis, esse legem, quia etiam illa solum habet vim et efficaciam, quatenus est signum: ergo necessario supponit id quod principaliter est lex.

7. Præterea occurrit specialis ratio in Deo, propter quam non videatur talis actus ei attribuendus, tanquam necessarius ad legem ferendam. Quia vel est per modum impulsus, qui fit activus ad extra, sicut aliqui illum ponunt etiam in Deo distinctum a proprio iudicio et cognitione, vel est per modum mentalis locutionis: neutrum autem horum dici potest: ergo. Minor quoad priorem partem probari posset, ostendendo nullum esse talem actum, quia frustra ponitur et intelligi non potest: sed hoc egimus, in 1 part., tract. 2, lib. 1, cap. 10. Nunc vero breviter declaratur, quia ex parte Dei non potest esse necessarius talis impulsus ad legem ferendam, quia Deus, ferendo legem, non impellit physice ad actum lege præceptum, sed solum ponit obligationem, quæ est quid morale, et non potest illo modo physico fieri, ut videtur per se clarum. Altera vero pars minoris de locutione patet facile, quia locutio Dei ad extra non est nisi infusio luminis, vel specierum, vel exhibitio alicujus signi manifestantis ipsum, vel ejus voluntatem: totum autem hoc facit Deus per voluntatem suam, nec ad hunc effectum est magis necessarius alius impulsus, vel actus intellectus posterior actu voluntatis quam ad alios: nullo ergo modo potest in Deo lex constitui in actu consequente voluntatem. Unde idem est de quolibet alio legislatore, quia omnes participant rationem legis, quæ in Deo est per essentiam, et ideo cum proportionem illam imitantur.

8. *Secunda sententia affirmans legem esse actum voluntatis.* — Est ergo secunda opinio principalis, affirmans legem esse actum voluntatis legislatoris. Pro hac sententia referri possunt omnes qui ponunt imperium in voluntate, ut Henricus, quodl. 9, q. 6, Gabriel, in 2, dist. 37, q. 1, a. 1, not. 3, Major, in 3, d. 33, q. 7, Ockham, in 3, q. 22, art. 4, Almainus, tract. 3, Moral., cap. 2, Angest., in Moral., tract. 1, part. 3, corol. 3. Sentit etiam Bonaventura, in 3, d. 17, art. 1, q. 1, ad penult., ubi ait *voluntatem esse illud, penes quod residet regnum et imperium eorum, que sunt in ipso volente.* Idem Medina, cod. de Orat., quæst. 2. Tribuitur etiam Durando et Gregorio, in 1, d. 47, quatenus asserunt voluntatem divinam

esse regulam, cui omnes tenemur conformari. Citatur etiam pro hac sententia Scotus, in 2, d. 6, q. 1, et d. 38, q. 1, ad ult., et quodl. 17, quatenus his locis ait ad voluntatem pertinere ordinare alium ad aliquid agendum, et in 3, d. 36, q. 1, art. 2, voluntati tribuit imperare; eandem opinionem late defendit Cast., libr. 2, de Lege pœnali, cap. 1.

9. Suaderi autem potest primo, quia Scriptura et civilia jura voluntatem Dei aut Principis legem appellant, Psal. 32: *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas,* id est, præcepta sua; et Ps. 142: *Doce me facere voluntatem tuam;* 2 Machab. 2: *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem,* id est, servetis ejus legem. Sic dixit Christus Dominus in oratione Dominica: *Fiat voluntas tua,* id est, servetur lex tua; et in oratione in horto dixit: *Non mea voluntas, sed tua fiat,* id est, tuum præceptum: sic enim de ipso scriptum erat, Ps. 38: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Responderi solet ex Magistro, in 1, d. 47, et D. Thomas, 1 part., quæst. 19, a. 9, in his locis esse sermonem de voluntate signi, quæ non proprie, sed metaphorice voluntas est.

10. Verumtamen licet signum voluntatis metaphorice voluntas dicatur, necesse est ut aliquam propriam voluntatem indicet. Cur enim voluntas metaphorice diceretur, nisi quia habitudinem habet ad voluntatem propriam: non habet autem aliam habitudinem nisi signi, et ideo voluntas signi dicitur; ergo illa voluntas significata est, quæ proprie impletur, et quæ illis locis significatur nomine legis. Unde etiam in jure civili dicitur lex habere voluntatem suam, 1. *In ambigua,* ff. de Legib., quia nimirum lex scripta seu exterior indicat voluntatem principis, quæ dicitur voluntas ipsius legis: ergo talis voluntas est lex in ipso principe: unde libro 1, ff. de Constit. princip., et § *Sed et quod,* Inst. de Jure naturali, gent. et civ., *Quod principi placuit,* dicitur, *legis habet vigorem;* quæ verba sine dubio actum voluntatis indicant. Similiter adduci possunt philosophi dicentes, legem esse *decretum et institutum civitatis,* ut est apud Platonem d. Dialog. Minos, vel esse consensum civitatis, ut est apud Aristotelem Rhet. ad Alex., cap. 1 et 2. Nam decretum propositum voluntatis indicat; et clarius, consensus actus est voluntatis. Anselmus etiam in libro de Voluntate Dei, voluntati divinæ tribuit præcepta, et libro de Concept. Virg., cap. 4, imperare tribuit voluntati.

11. *Confirmatur secunda sententia ex proprietatibus legis.* — Secundo principaliter id ostendi potest ex proprietatibus legis: nam omnes quæ tribuebantur actui intellectus, magis conveniunt voluntati, et aliquæ conveniunt voluntati, quæ intellectui tribui non possunt: ergo, etc. Major patet, quia imprimis legi tribuitur, quia sit regula et mensura: at hoc maxime convenit divinæ voluntati, ut sumi potest ex D. Thoma, 1. 2, quæst. 4, art. 4, et quæst. 19, art. 9, et 2. 2, quæst. 26, art. ult.; expressius, quæst. 105, artic. 1, ait divinam voluntatem esse primam regulam qua mensurari debent humanæ actiones: voluntates autem superiorum hominum esse secundam regulam participatam a prima: et ratio est, quia id agere aut velle debemus quod Deus vult nos velle aut agere, ut ait Anselmus, lib. de Voluntate Dei.

12. Altera proprietas legis est, quod illuminat et dirigit subditum: in hac autem considerandum est, posse attribui legi, quatenus est in ipso subdito, quomodo non est dubium, quin sit actus rationis, et formaliter illuminans, ut in superiori capite dixi. Et ideo in legendis auctoribus cavenda est æquivocatio; cum enim legem per rationem definiunt, sæpe loquuntur de lege, prout est in subdito, quomodo naturalis lex dicitur esse recta et a natura indita ratio: sic autem lex illuminat, quia ostendit voluntatem legislatoris: unde in ipso legislatore voluntas esse videtur, quæ objective (ut sic dicam) vel etiam effective illuminat subditum, quomodo dixit Anselmus, dicto libro de Voluntate Dei: *voluntas Dei est Magistra humanæ voluntatis.*

13. Erat tertia proprietas, quod lex ordinat; at hoc propriissime convenit voluntati, ut recte Scotus supra docet, et in tract. de Prædestin. ostendi, loco supra citato: et optime confirmari potest ex divo Thoma, 1 part., quæst. 107, artic. 1, dicente unum Angelum per voluntatem suam ordinare suum conceptum ad alium, et ita loqui ei: pertinet ergo ad voluntatem ordinare. Unde in præsentibus declaratur: nam hæc ordinatio legis, vel est per modum relationis medii in finem, vel per modum locutionis indicantis voluntatem principis: utroque autem modo optime attribuitur voluntati: nam voluntas est, quæ ordinat media ad finem, quia ipsa est quæ intendit finem et eligit media propter ipsum, et ita statuit ut fiant: voluntas etiam est, quæ imperat locutionem, et in Deo, vel immateriali supposito ordinatio locutionis etiam fit per voluntatem;